



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 47. An licitum sit sequi opinionem extrinsecè tantùm probabilem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

369 Q. 47. *An licitum sit sequi opinionem extrinsecè tantùm probabilem.* R. Negative, implicat enim ut opinio sit probabilis ab extrinsecò, si ab intrinsecò sit improbabilis, neque probabilitas extrinseca datur, nisi probabilitas intrinseca saltem præsumatur adesse, uti rectè *Carden.* in I. crisi d. II. n. 262. & d. 69. n. 6. Ratio est, quia numerus Auctorum non facit, ut opinio censeatur conformis rectæ rationi vel voluntati Dei, neque etiam semper reddit probabilem, ut à n. 136. ostensum est, sed hoc facit natura objecti, quam sic se habere suadet nobis motivum ab intrinsecò, si prudens sit, hinc *Stoz* l. 1. p. 5. n. 100. ait, *si mille AA. in unam sententiam conveniant nullâ ratione nixi, nulla ex hoc capite generatur probabilitas, neque credendum est illis: ideoque etiam Carden. d. 58. n. 9. & Lupus apud Sanchez de matr. l. 3. d. 44. n. 3. dicunt, non est credendum Doctõribus quantumcumque doctrinâ polleant, dum carent fundamento: similiter S. Hieronymus, uti refertur Cap., ego solis, dist. 9. ait, alios autem ita lego, ut quantumlibet sanctitate quantumve doctrinâ polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios Auctores vel Canonicas vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat persuadere poterunt: Communiter tamen prudenter præsumi potest, quòd adsit probabilitas intrinseca, ubi multi AA. etiam nunc aliquam opinionem tenent, hi enim non assèrent temerè sed ob rationes inventas; ideoque *Sporer* n. 39. rectè notat aliquem posse tutò sequi opinionem communem, nisi fortè unus secutus fuisset alterum, uti ovis ovem, quod quandoque fit, aut nisi viro docto occurreret firma ratio non animadversa ab aliis, quæ probaret oppositum, tum etiam teneretur magis inquirere, & ratio*

rationes inter se conferre, ac videre, an opinio maneat probabilis: imò quamvis admittam hominem indoctum posse tutò procedere, hoc ipso quòd sciat opinionem etiam nunc doceri à viris probis & doctis, homo tamen doctus, qui potest examinare rationes intrinsecas, non videtur tutò posse procedere, nisi examinet illas, vel prudenter præsumat etiam in hac materia ab illis aliis examinatas esse, Ratio est, quia hic potest examinare & discutere, quid in re videatur verum necne, ergo si non faciat & fortè erret, errat errore vincibili & culpabili, ergo non excusatur, hinc *Teril.* in Req. q. 29. n. 90. rectè ait, *si viro valde docto solum representetur, quòd plures teneant utramque partem contradictionis, non illico tutus erit. si selectetur partem minus tutam. sed vel scire debet qualitatem Doctorum eam tenentium, ut sic sine ulteriori investigatione eorum sententiam in conscientia regulam licitè accipiat, vel ipsemet tenebitur rationes investigare, ut nil agat, nisi illud rationi congruum esse noverit: quòd si examinatis utrimque rationibus necdum appareat veritas, sed utraque pars pro se habeat grave motivum, sequi potest, quam volet, nam si erret, excusat eum invincibilis ignorantia, uti sæpe est dictum.*

Q. 48. An liceat hanc & oppositam sententiam probabilis sequi in eadem materia. R. 370

§. I. *Caramuel* dicit probabile esse, quòd aliquis semper possit, sed hunc rectè confutat *Cressp. à Borgia* q. 9. *Tambur.* in Decal. l. 1. c. 3. §. 5. dicit licere, dummodo probabilitas opinionis non pendeat immediatè à nostra voluntate, quandonam autem probabilitas pendeat vel non pendeat à nostra voluntate, non satis clarè explicat.

§. II. *Bardi* disc. 4. c. 14. *Sporer* n. 35. meliùs dicunt non licere, si lex aliqua occurrat, cujus obligatio 371